

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Ivrid. Lipsiensis Ordinarii  
Tractatio Synoptica Institvtionvm Ivriss Ivstinianearvm  
Theoretico-Practica**

**Mencke, Lüder**

**Lipsiae, MDCCXXXV**

**VD18 11839880**

**Tit. XIII. De Successionibus sublatis quae fiebant per Bonorum Vendit & ex  
SCio Claudio.**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18253**

TIT. XIII.

De Successionibus sublatis, quæ fie-  
bant per Bonorum Vendit. & ex SCio  
Claudiano.

ERANT ante prædictam successionem olim &  
aliæ per universitatem successiones, qualis fuerat  
bonorum emptio, quæ de bonis debitoris vendendis  
per multas ambages fuerat introducta, & tunc locum  
habebat, quando judicia ordinaria in usu fuerant.  
Sed cum extraordinariis judiciis posteritas usa est,  
ideo cum ipsis ordinariis judiciis etiam bonorum  
venditiones expiraverunt, & tantummodo credito-  
ribus datur, officio judicis bona possidere: & prout  
utile eis visum fuerit, ea disponere; quod ex latio-  
ribus Digestorum libris perfectius apparebit. Erat  
& ex Senatusconsulto Claudiano miserabilis per uni-  
versitatem acquisitiō: cum libera mulier servili  
amore bacchata, ipsam libertatem per Senatuscon-  
sultum amittebat, & cum libertate substantiam:  
quod indignum nostris temporibus esse existimantes, \* v. E. una  
& a nostra civitate deleri, & non inseri nostris Dige- & de SCio  
tis concessimus. Claudian.  
vol. 202.

NOVELLÆ CONSTIT. CXVIII.

CAP. I. II. III. IV.

De heredibus ab intestato venientibus,  
& de agnatorum Jure sublato.

Imperator Justinianus Augustus Petro glorioſiſmo  
prefecto ſacerorum prætoriorum Orientis.

PLurimas & diuersas leges veteribus tem-  
poribus prolatas invenientes, per quas  
non iuste differentia ab intestato ſuccessionis  
inter cognatos ex masculis & fœminis intro-  
ducta eſt, neceſſarium eſſe perſpeximus, omnes  
Y 3 simul

simul ab intestato cognationum successiones per præsentem legem clara compendiosaque divisione disponere: itaque prioribus legibus pro hac causa positis vacantibus, de cætero ea sola servari, quæ nunc constituimus. Quia igitur omnis generis ab intestato successio tribus cognoscitur gradibus, hoc est, ascendentium, & descendantium, & ex latere: (quæ in agnatos cognatosque dividitur) primam esse disponimus descendantium successionem.

## C A P. I.

## De descendantium saccessione.

Si quis igitur descendantium fuerit ei qui intestatus moritur, cuiuslibet naturæ aut gradus, sive ex masculorum genere, sive ex fæminarum descendens, & sive suæ potestatis, sive sub potestate sit: omnibus ascendentibus & ex latere cognatis præponatur. Licet enim defunctus sub alterius potestate fuerit: tamen ejus filii, cuiuslibet sexus sint aut gradus, etiam ipsis parentibus præponi præcipimus, quorum sub potestate fuerit, qui defunctus est, in illis videlicet rebus, quæ secundum nostras alias leges patribus non acquiruntur. Nam in usu harum rerum, qui debet acquiri, aut servari, nostras de his omnibus leges parentibus custodimus: sic tamen, ut si quem horum descendantium filios relinquenter mori contigerit, illius filios aut filias, aut alios descendentes, in proprii parentis locum succedere, sive sub potestate defundi, sive suæ

sue potestatis inveniantur: tantam de hereditate morientis accipientes partem, quanticunque sint, quantum eorum parens, si vivet, habuisset: quam successionem in stirpes vocavit antiquitas. In hoc enim ordine gradum quæri nolumus: sed cum filiis & filiabus ex præmortuo filio aut filia, nepotes vocari sancimus: nulla introducenda differentia, sive masculi, sive fæminæ sint, & seu ex masculorum seu fæminarum prole descendant, sive sue potestatis sive sub potestate sint constituti. Et hæc quidem de successionibus descendentium disposuimus. Consequens autem esse perspeximus & de ascendentibus constuere, quomodo ad descendentium successiōnem vocentur.

C A P. II.

De ascendentium successione.

Si igitur defunctus descendentes quidem non relinquat heredes, pater autem aut mater, aut alii parentes, ei supersint, omnibus ex latere cognatis hos præponi sancimus, exceptis solis fratribus ex utroque parente conjunctis defuncto, sicut per subsequentia declarabitur. Si autem plurimi ascendentium vivunt, hos præponi jubemus, qui proximi gradu reperiuntur, masculos & fæminas sive paterni, sive materni sint. Si autem eundem habeant gradum, ex æquo inter eos hereditas dividatur: ut medietatem quidem accipient omnes a patre ascendentes quanticunque fuerint: medietatem vero reliquam a matre

ascendentes, quantoscunque eos inveniri contigerit. Si vero cum ascendentibus inveniantur fratres aut sorores ex utrisque parentibus conjuncti defuncto: cum proximis gradu ascendentibus vocabuntur: si & pater aut mater fuerint, dividenda inter eos quippe hereditate secundum personarum numerum, uti & ascendentium & fratribus singuli aequali habeant portionem: nullum usum ex filiorum aut filiarum portione in hoc casu valente patre sibi penitus vindicare; quoniam pro hac usus portione, hereditatis jus & secundum proprietatem per presentem dedimus legem: differentia nulla servanda inter personas istas, sive feminæ, sive masculi fuerint, qui ad hereditatem vocantur: & sive per masculi, sive per feminæ personam copulantur: & sive suæ potestatis, sive sub potestate fuerit is, cui succedunt. Reliquum est, ut tertium ordinem decernamus, qui vocatur ex latere, & in agnatos & cognatos dividitur: ut etiam hac parte disposita, undique perfecta lex inveniatur.

## C A P. III.

## De successione ex latere venientium.

Si igitur defunctus neque descendentes neque ascendentes reliquerit, primos ad hereditatem vocamus fratres & sorores ex eodem patre & ex eadem matre natos: quos etiam cum patribus ad hereditatem vocavimus. His autem non existentibus, in secundo ordine illos fratres ad hereditatem vocamus, qui ex uno

uno parente conjuncti sunt defuncto, sive per patrem solum, sive per matrem. Si autem defuncto fratres fuerint, & alterius fratriis aut sororis præmortuorum filii, vocabuntur ad hereditatem isti cum de patre & matre thiis masculis & fæminis: & quanticunque fuerint, tantam ex hereditate percipient portionem, quam eorum parens futurus esset accipere, si superstes esset. Unde consequens est, ut si forte præmortuus frater, cuius filii vivunt, per utrumque parentem nunc defunctæ personæ jungebatur, superstes autem fratres per patrem solum forsan, aut matrem ei jungebantur: præponantur istius filii propriis thiis, licet in tertio sint gradu, (sive a patre, sive a matre sint thiis, & sive masculi, sive fæminæ) sicut eorum parens præponeretur, si viveret. Et ex diverso siquidem superstes frater, ex utroque parente conjungitur defuncto, præmortuus autem per unum parentem jungebatur: hujus filios ab hereditate excludimus, sicut ipse, si viveret, ab hereditate excludebatur. Hujusmodi vero privilegium in hoc ordine cognationis solis præbemus fratum masculorum & fæminarum filiis aut filiabus, ut in suorum parentum jura succedant. Nulli enim alii omnino personæ ex hoc ordine venienti hoc jus largimur. Sed & ipsis fratum filiis tunc hoc beneficium conferimus, quando cum propriis judicantur thiis masculis & fæminis, sive paterni, sive materni sint. Si au-

tem cum si a tribus defuncti etiam ascendentis  
(sicut jam diximus) ad hereditatem vocan-  
tur: nullo modo ad successionem ab intestato  
fratris aut sororis filios vocari permittimus:  
neque si ex utroque parente eorum pater aut  
mater defuncto jungebatur. Quandoquidem  
igitur fratris & sororis filiis tale privilegium  
dedimus, ut in propriorum parentum succe-  
dentes locum, soli in tertio constituti gradu,  
cum iis, qui in secundo gradu sunt, ad heredi-  
tatem vocentur, illud palam est quia hiis de-  
functi masculis & feminis, sive a patre sive  
a matre, præponuntur, si etiam illi tertium  
cognitionis similiter obtineant gradum. §. I.  
Si vero neque fratres, neque filios fratribus  
(sicut diximus) defunctus reliquerit, omnes  
deinceps a latere cognatos ad hereditatem vo-  
camus, secundum uniuscuiusque gradus præ-  
rogativam, ut viciniores gradu, ipsi reliquis  
præponantur, si autem plurimi ejusdem gra-  
dus inveniantur. secundum personarum nu-  
merum inter eos hereditas dividatur: quod  
in capita nostræ leges appellant.

## CAP. IV.

*De agnatorum jure in hereditate sublata.*

Nullam vero volumus esse differentiam in  
quacunque successione aut hereditate inter  
eos, qui ad hereditatem vocantur, masculos ac  
feminas quos ad hereditatem communiter  
definivimus vocari, sive per masculi, sive per  
feminæ personam defuncto jungebantur: sed  
in

in omnibus successionibus agnatorum cognatorumque differentiam vacare præcipimus, sive per fæmineam personam, sive per emancipationem, sive per alium quemlibet modum prioribus legibus tractabatur, & omnes sine qualibet hujusmodi differentia, secundum proprium cognitionis gradum ad cognatorum successionem ab intestato venire præcipimus.

#### TIT. XIV.

#### De Obligationibus.

Continuatio, & Definitio.

**N**unc transeamus ad obligationes. Obligatio est juris vinculum, quo necessitate adstringimur aliquis rei solvendæ secundum nostræ civitatis jura.

Divisio prior.

1. Omnium autem obligationum summa divisio in duo genera deducitur: namque aut Civiles sunt, aut Prætoriæ. Civiles sunt, quæ aut Legibus constitutæ, aut certo Jure Civili comprobatae sunt. Prætoriæ sunt, quas Prætor ex sua jurisdictione constituit, quæ etiam Honorariæ vocantur,

Divisio posterior.

2. Sequens divisio in quatuor species dividitur. Aut enim ex contractu, aut quasi ex contractu sunt, aut ex maleficio, aut quasi ex maleficio. Prius est, ut de iis, quæ ex contractu sunt, dispiciamus. Horum æque quatuor sunt species. Aut enim re contrahuntur, aut verbis, aut literis, aut consensu, de quibus singulis dispiciamus.

I.

**O**bligatio est juris vinculum, quo quis ad aliquid dandum, faciendum, vel præstandum obstringitur. l. 3. ff. d. O. & A. Hæc dividitur a causa efficiente remota in simplicem & mixtam, simplex